Fragmentarium

Maxima [illegible] morum semper est pacientia virtus.
Se [illegible] culpa cum dolor urget amaraz.
Ipse tibi moderare tuis ut parcere possit.
Conserva potius que iam sunt parta labore
Cum labor est in dampno mortalis crescit egestas.
Dapsilis interdum notis et carus amicis.
Cum fueris felix semper tibi proximus esto.
Telluris si forte velis cognoscere cultus.
Virgilium legito quod si mage noscere laboras.
Herbarum vires macer tibi carmine dicet.
Si romana cupis et punica noscere bella.
Lucanum queras qui martis prelia dixit.
Si quid amare libet vel discere amare legendo.
Nasonem petito si autem tibi cura hec est.
Ut sapiens vivas audi que discere possis
Per que semotum viciis deducitur evum.
Ergo ades et que sit sapientia disce legendo.
Si potes ignotis etiam prodesse memento.
Utilius est regno meritis acquirere amicos.
Mitte arcana dei celumque inquirere quid sit.
Cum sis mortalis que sunt mortalia cura.
Linque metum leti nam stultum est tempore in omni.
Dum mortem metuas amittere gaudia vite.
Iratus de re incerta contendere noli.
Ira impedit animum ne possit cernere verum.
Fac sumptum propere cum res desiderat ipsa.
Dandum etenim est aliquid cum tempus postulat aut res.
Quod nimium est fugito parvo gaudere memento
Tuta mage puppis est que modico flumine fertur.

24 D 72
Fragm. lat. 403
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK LEIPZIG

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
Colour & Grey Control Chart
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta
White Grey 1 Grey 2 Grey 3 Grey 4 Black

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 403, 1r mit Farbkeil – Disticha Catonis
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-666e/387/5624)